

accommodatio et usus non cadit nisi supra propositionis sensum non omnino mutatum, non supra propositionem prolatam ab eo, qui scit alias diversam habere significationem, et sic vult proferre. Cabrera tamen disputatione XXI, articulo sequenti in fine censet, quod utens vocibus secundum accommodationem usus, etiam ex industria, conficit valide, etsi peccet.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma sacramentorum?*

I. Ad tres conclusiones possumus reducere doctrinam articuli.

II. Prima conclusio: In mutatione verborum formæ, si ex parte ejus, qui profert verba, sit intentio inducendi novum ritum, qui non sit receptus ab Ecclesia, defectu intentionis non conficitur sacramentum, si non intendat facere quod facit Ecclesia.

III. Secunda conclusio: Ex parte significationis, seu defectu significationis verborum, si per diminutionem vel additionem varietur substantialis sensus propositionis intentus a forma sacramentali, non conficitur sacramentum; si autem per talem diminutionem, aut additionem non tollatur formalis sensus, validum erit sacramentum; peccabit tamen conficiens, si ex contemptu, aut negligentia id faciat.

IV. Tertia conclusio solutione ad tertium: Si sit tanta interpolatio verborum, quod tollatur intentio et intellectus verborum, non conficitur sacramentum, alias vero sic: et idem est dicendum de transpositione verborum.

V. Prima conclusio S. Thomæ constat ex defectu intentionis mi-

nistri, quam necessariam esse ad conficienda sacramenta, infra docet S. Thomas quæstione LXIV, articulo VII. Quod autem intelligat sanctus doctor per intentionem inducendi ritum ab Ecclesia non approbatum, seu receptum, dubium est, cum non quilibet ritus, etiamsi introduci intendatur, variet intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ut si quis velit in forma panis introducere tamquam essentielle illam particulam, quod pro vobis tradetur qui tamen vere conficeret. Sed de hoc dicitur in controversia.

VI. Secunda conclusio probatione non indiget, cum constet manente debito sensu formæ, operari formam ad sacramenti confectionem, si quidem ratione sui sensus operatur, eo autem sublato, nullo modo posset operari. Et ita quidquid mutetur alias circa talem formam, non tollit verum fieri sacramentum. Quod vero peccet, qui ex contemptu aut negligentia mutationem facit, etiam circa non substantialia formæ patet, quia in re gravi, videlicet in ipsis formis sacramentalibus, mutat id quod Ecclesia constituit fieri.

VII. Tertia conclusio eadem probatione et fundamento nititur, qua præcedens, si quidem ad id tendit.

## DUBIUM PRIMUM.

AN QUICUMQUE, ET QUOTIESCUMQUE INTENDIT MINISTER INDUCERE NOVUM RITUM AB ECCLESIA NON RECEPTUM, FIAT NULLUM SACRAMENTUM?

*Conclusio est negativa.*

VIII. Pro cuius intelligentia advertendum est, quod intendens inducere illum ritum, aut ita intendit illum quod tollit intentionem communem Ecclesiæ, et quam debet

ipse habere secundum quod in persona Ecclesiæ ministrat, aut non tollit communem illam intentionem Ecclesiæ, sed illam retinendo, vult nihilominus suum ritum introducere. Et in isto ritu introducendo potest se habere tripliciter, uno modo taliter, quod ille ritus non compatiatur verum sensum verborum, sed eum tollat: alio modo taliter, quod illum compatiatur, etiamsi minister putet aliquid amplius, vel minus esse de essentia sacramenti: tertio modo, quod reddat illum ambiguum et æquivocum.

IX. De ritibus autem, qui non tangunt formam, id est, verba sacramentalia, præsens articulus non loquitur; illi enim circumstant solum, et accidentia sunt sacramenti; quorum mutatio est certum quod non variat sacramentum, ut quod celebretur cum vestibus sacris, cum corporalibus, etc. et ideo per novum ritum intelligimus religiosam illam cæremoniam, in qua consistit sacramentum, id est, qui pertinet ad formam ipsam aut materiam.

X. Igitur primo certum est, quod qui intendendo inducere novum ritum tollit intentionem generalem Ecclesiæ, in cuius persona ministrat, nihil conficit, non propter mutationem verborum formæ, sed propter defectum intentionis, quæ ut D. Thomas docet infra quæstione LXIV, articulo VIII, requiritur in ministro; ut videlicet actione illa utatur secundum eam determinationem, quæ instituta est; et ideo debet determinationem illam intendere, et non aliam.

XI. Sed currit difficultas admitendo quod habeat minister intentionem veræ Ecclesiæ, conetur tamen inducere novum aliquem ritum, qui casus admitti non potest, nisi supposita ignorantia aut dubietate, ut si quis ignorans hoc esse de essentia formæ, aut dubitans

quæ sit vera Ecclesia, habeat nihilominus intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, aut faciendi quod Christus Dominus instituit; et tamen quia putat hoc esse de essentia formæ, verbi gratia, ponere in forma panis: *Quod pro vobis tradetur*, illam sic profert. Si enim sciret hoc non esse de essentia formæ, et tamquam essentielle vellet proferre, non haberet intentionem Ecclesiæ. Sed supposita hac ignorantia aut dubietate, et tamen habendo intentionem Ecclesiæ, non hujus aut illius in particulari, sed illius quæ vera est; quæ intentio non tollitur per hoc, quod iste putet hanc in particulari Ecclesiam esse veram, aut hunc ritum esse necessarium, excluderetur tamen intentio illa generalis Ecclesiæ, si verbi gratia, odio Ecclesiæ Romanæ, quæ sola vera est, intenderet non facere quod facit Romana Ecclesia, etiamsi vera sit.

XII. Sed quæcumque habet intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, non tollitur intentio generalis, si quidem minister conficit sacramentum secundum quod repræsentat personam publicam, et personam instituentis. Instrumentum enim magis respicit principale agens, quam peculiarem virtutem: unde si salvatur in ministro intentio principalis instituentis, salvatur intentio requisita ad conficiendum sacramentum.

XIII. Secundo ergo dico, quod si ille ritus, quem intendit inducere minister, non compatiatur verum sensum formæ, procul dubio tollit validitatem sacramenti; ut si quis intendat baptizare sub ista forma: In nomine Patris majoris, et Filii minoris, tunc quantumcumque intendat facere quod facit vera Ecclesia, nihil facit, quia corrumpit sensum veræ Ecclesiæ, et consequenter

intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia.

XIV. Tertio dico : Si ille ritus, quem intendit introducere minister, putans illum esse de essentia formæ aut materiæ, non tollat verum sensum formæ, sed illum permittat, et materia sit legitima, et intentio saltem generalis non desit, non invalidatur sacramentum. Ratio est, quia concurrunt omnia, quæ legitime ad sacramentum requiruntur, scilicet materia, forma et intentio ; et quod ritus introductus putetur esse de essentia sacramenti nihil refert, quia sensum verum non corrumpit, verbi gratia, si quis putans esse de essentia formæ panis : *Quod pro vobis tradetur*, aut putans esse de essentia conficere in fermentato, aut baptizare in aqua calida, sic faciat, vere conficit.

XV. Nec obstat, quod tamquam essenziale hoc, aut illud addat ; hoc enim quod ipse putet essenziale esse, nihil tollit de essentialibus sacramenti in se, et ut pendet ab instituyente Christo ; et sic quod aliter fiat a ministrante, non invalidatur.

XVI. Quarto dico, quod si per illum ritum, qui intenditur a ministro, redditur ambiguus sensus formæ, tunc ex ejus intentione pendebit validitas vel invalidatio sacramenti. Ratio est, quia tunc propositio est æquivoca, et ita ejus sensus est determinabilis ad hanc, vel ad illam partem, et cum sit in potestate proferentis in hoc, vel illo sensu illa uti ; in potestate etiam proferentis erit dare illi sensum debitum aut indebitum, et ideo ex ejus intentione pendet quod fiat vel non fiat sacramentum. Exemplum est in illis quod affert S. Thomas hic, si quis baptizet sic : In nomine Patris et Filii, etc. et Beatæ Virginis ; si enim intendat invocationem Trinitatis æque ad Beatam Virginem ex-

tendere, nihil conficit ; si tamen nomen Beatæ Virginis solum ibi apponit ut baptizati protectricem, non invalidatur sacramentum, quia non tollitur essentialis sensus formæ.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVII. Arguitur primo : Quotiescumque minister addit aliquid formæ tamquam essenziale, non utitur forma quam Christus Dominus instituit : ergo non conficitur sacramentum. Probatur antecedens, nam ille minister utitur alio signo, quam a Christo Domino instituto, si quidem forma sacramenti et signum illud in indivisibili consistit, et quocumque addito aut sublato tamquam essentiali, variatur forma ut a Christo Domino instituta : ergo.

XVIII. Confirmatur, quando quis reddit ambiguum sensum formæ, ut qui baptizaret : In nomine Patris, etc. et Beatæ Virginis, si intendat hanc novam particulam facere de essentia sacramenti, non conficit : ergo neque si intendat hanc particulam enim, facere de essentia formæ panis, non conficiet, si quidem utraque particula de se non est essentialis, et ex intentione solum ministri fit essentialis ; et utraque non contrariatur generali intentioni Ecclesiæ, quia potest minister utrobique habere intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia : ergo eodem modo conficietur utrobique.

XIX. Respondetur ad argumentum, negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens ; utitur alio signo quam a Christo Domino instituto, si referatur ad intentionem generalem rectam quam habet minister, nego antecedens ; si referatur ad privatam pravam, concedo ; ergo non conficit, nego. Ut enim conficiat, sufficit quod ratione

intentionis generalis non depravetur forma, cum enim conficiat in persona Ecclesiæ, si in hac persona intendat, quod facit Ecclesia, nihil tollitur de veritate formæ.

XX. Et cum id quod de se intendit introducere minister non tollat verum sensum formæ, licet aliquantum mutet, videlicet accidentaliter, quia licet in ratione signi physici seu grammaticalis significationis, aliud sit quolibet addito vel subtracto, non tamen in ratione signi sacramentalis : quod et manifeste patet, quia si habeat intentionem addendi illam particulam tamquam accidentalem, nihil omnino tollit aut ponit in sacramento. Et aliunde quod velit illam facere essentialem, non fit secundum generalem intentionem, qua intendit facere quod facit Ecclesia, sed secundum privatam fit ; quod absolute non facit aliud signum sacramentale, etsi physice videatur aliud, quia non opponitur intentioni Ecclesiæ, nec consequenter institutioni Christi.

XXI. Ad confirmationem respondetur, quod reddens ambiguum sensum formæ, non potest habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quousque determinet sensum propositionis, quia per determinatum sensum determinatum sacramentum confici debet ; et sic non ex defectu intentionis, sed ex defectu sensus formæ non conficit, quando proferens ambiguam propositionem determinate vult facere, et de essentia formæ, id quod non est de essentia. Redundat enim hoc in sensum formæ ; quæ cum ambigua esset, determinata est ad hanc propositionem falsam. Quod non contingit in particula enim, quia illa non reddit ambiguam propositionem ; et ita non oportet determinari prius sensum formæ, sed statim potest habere intentionem generalem

Ecclesiæ, respectu cujus non facit de essentia illam particulam, et consequenter nec aliam propositionem sacramentaliter facit, nec sacramentaliter illam reddit falsam ratione illius intentionis, quamvis respectu privatæ intentionis falsa videatur quasi materialiter.

XXII. Ex quo sequitur, quod qui semel ponit formam determinatam a Christo cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, licet secundum privatam existimationem in alio sensu velit intelligere illam et proferre, non tamen committit æquivocationem, nec invalidat sacramentum, quia non profert illam æquivoce sacramentaliter, sed solum quasi physice, si quidem respectu intentionis Ecclesiæ et institutionis Christi non aliter profert, quam instituit, et Ecclesia utitur. Exemplum est, si quis existimans baptismum solum corporaliter ablucere, dicat cum intentione Ecclesiæ : Ego te baptizo, etc. vere conficit, quia illa æquivocatio verbi baptizo, supposita institutione Christi, et intentione illa generali, non est sacramentalis, seu ambigua in ordine ad sacramentum conficiendum.

XXIII. Secundo objicies : In capite Retulerunt, determinat pontifex, quod si ille qui baptizavit in nomine Patris, etc. intendebat novum ritum inducere non conficiebatur sacramentum ; et S. Thomas etiam in hoc articulo dicit, quod si minister intendit introducere novum ritum in Ecclesia, non videtur perficere sacramentum : ergo ex sola intentione ministri inducentis novum ritum pendet invalidatio sacramenti.

XXIV. Confirmatur, quia qui intendit introducere novum ritum, habet intentionem Ecclesiæ contrariam : ergo intendit facere quod facit Ecclesia ; ergo invalidatur omne tale sacramentum. Antecedens patet,

quia habet intentionem introducendi aliquid Ecclesiæ contrarium in forma sacramenti: ergo habet intentionem Ecclesiæ contrariam. Si dicatur, quod quasi materialiter habet intentionem Ecclesiæ contrariam, formaliter tamen, vel potius virtualiter, ratione generalitatis intentionis Ecclesiæ, non habet illam, et ideo conficitur.

XXV. Contra est, quia qui habet intentionem formalem alicujus et in particulari, excludit virtualementem oppositi et in communi; sed iste habet formaliter et in particulari intentionem contrariam Ecclesiæ: ergo excludit virtualementem, et eam quæ est in communi; et sic non conficitur. Major patet, quia intentio formalis alicujus finis potentior est virtuali, illamque excludit, ut dici solet in prima secundæ.

XXVI. Respondetur primo, pontificem non dicere, quod si in tendebat novum ritum introducere, non conficiebat; sed inquit, quod si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, hoc baptizans dixisset, non debet rebaptizari. Ex quo non infertur oppositum, scilicet, quod si intendebat errorem aliquem introducere, non conficiebat; alias ille error non destrueret veram formam.

XXVII. Secundo dicitur, quod ille sacerdos imperitus, qui sic baptizabat si intenderet errorem introducere, tollebat veram Trinitatis invocationem, cum ipsa non sit Patria, aut Filia; et ita tolleret sensum formæ. Unde optime dixit pontifex, quod si non introducens errorem aut hæresim, hoc fecit, valide conficit, insinuans quod si hæresim introducere intendebat, non conficiebat, quia ille error tollebat veram formam. Similiter ad D. Thomam dicimus solum dicere, quod ille talis non videtur conficere sacramen-

tum; tum, quia difficile est quod habeat veram intentionem, qui contra Ecclesiam facit; tum, quia in foro exteriori præsumitur non habuisse rectam intentionem, quia essentiali formæ voluit aliquid addere; tum denique, quod addit S. Thomas, quia non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, quod solum contingit quando excludit generalem intentionem Ecclesiæ.

XXVIII. Ad confirmationem recte ibi responsum est, non habere intentionem Ecclesiæ contrariam in communi, seu ut personam publicam, bene tamen ut privatam. Ad replicam dicitur primo, quod qui habet formalem intentionem alicujus, excludit virtualementem oppositi, si utraque sit eodem modo; si autem quis habet virtualementem intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia, et in persona ejus ministrare; velit autem secundum suam privatam existimationem introducere novum ritum, sic non contrariantur hæ intentiones, quia non vult secundum privatam existimationem recedere a vera Ecclesia, et ita non contrariatur illi intentioni, quin potius ut illi conforme vult hoc in particulari.

XXIX. Secundo dicitur, quod illa formalis intentio non est contraria virtuali, supposita ignorantia aut dubietate, sed illi conformis, licet apparens videatur esse contraria. Nam per generalem, seu virtualementem intentionem vult facere quod vera Ecclesia facit; per privatam autem existimationem falsum putat, hoc esse de essentia sacramenti, et consequenter esse necessarium ut in vera Ecclesia conficiatur: non ergo hæc privata intentio contradicit illi generali, supposita hac ignorantia, sed ex conformitate ad eam habetur, licet videatur ei contrariari. Itaque intentio faciendi quod facit vera Ecclesia, non contrariatur in-

tentioni, qua particulariter errat iste circa novum ritum inducendum; cum potius existimet ad veram Ecclesiam pertinere, licet quia errat aut dubitat, non applicet id quod de facto in vera Ecclesia tenetur. Et ita in his duabus intentionibus virtualis unius non opponitur formali alterius, et e contra.

XXX. Tertio objicies: Qui ex privata intentione addit in forma baptismi in nomine Beatæ Virginis, non addit illud ex communi intentione, sed ex privata; ergo pari ratione non contrariatur sensui Christi Domini et institutioni ipsius, si quidem illi subjicitur intentio ministri generalis; ergo conficitur verum sacramentum. Nec potest dici, quod redditur tunc forma falsa, quia ex verbis substantialibus formæ non provenit illa falsitas: ergo substantialia verba formæ manent in sua veritate: solum ergo ex verbis superadditis fit mutatio, quæ accidentaliter est, si quidem remanet substantialis sensus.

XXXI. Respondetur illud in nomine Beatæ Virginis, et posse contrariari institutioni Christi Domini, ac consequenter intentioni faciendi, quod ipse instituit, quæ est communis intentio; et posse non contrariari institutioni illi. Contrariatur illi, si æque sumatur invocatio Beatæ Virginis, ac ad Personas Trinitatis; non contrariatur, si apponitur ibi ut cui commendetur deprecative infans. Et ideo quousque per intentionem ministri non determinetur an contrariari velit institutioni Christi, mutando sensum formæ, vel non velit, manet ambigua forma; ideoque falsa reddi potest ex intentione ministri et invalidum sacramentum.

XXXII. Ad replicam dicitur illam formam reddi falsam ex verbis superadditis, quatenus extenditur invocatio Trinitatis et virtus ad Bea-

tam Virginem; ideoque ex superadditis verbis sacramentaliter redditur falsa, licet speculative videatur adhuc manere illa oratio in veritate sua. Argumenta quæ proponit Cabrera in initio disputationis, et Suarez disp. II, sect. V, in secundam sententiam ex dictis conclusionem secundam et tertiam soluta manent.

#### DUBIUM SECUNDUM.

QUOD PECCATUM SIT, ALIQUID ADDERE AUT MINUERE SEU MUTARE IN FORMIS SACRAMENTORUM.

XXXIII. Conclusio est: Ex genere suo esse mortale peccatum, quando mutatio reddit invalidum, aut dubium sacramentum: quando vero mutatio est solum accidentaliter, pro quantitate magna vel parva judicandum est de peccati gravitate.

XXXIV. Pro intelligentia est notandum, quod cum peccatum sit contra legem, attendendum est, quod in mutatione formæ sacramentalis, et similiter materiæ, duplex lex lædi potest: altera divina, quæ eo ipso quo instituit sacramenta secundum determinatam materiam et formam, præcepit sacramenta sub illis esse conficienda, et non aliter; alias non conficerentur vera sacramenta, cujus tamen præceptum divinum habent, qui ea ministrare debent.

XXXV. Secunda lex est positiva humana circa ritus sacramentorum quibus præcipit ut signa illa fidei nostræ ac salutis taliter et taliter tractentur, et disponantur; unde pertinet id ad materiam religionis. Utraque autem lex, cum præcipiat aliquid circa materiam religionis, ex genere suo prævaricatio ejus sacrilega est, et gravis, nisi ob materiæ parvitatem excusetur; et ita tam